

enim satis exemplorum ad imitandum ex lectione suppeditet, tamen viva illa, ut dicitur, vox alit plenius, praecipueque ejus praeceptoris, quem discipuli (si modo recte sunt instituti) et amant et verentur. Vix autem dici potest, quanto libentius imitemur eos, quibus favemus. Minime vero permittenda pueris (ut fit apud plerosque) assurgendi, exultandique in laudando licentia. Quin etiam juvenum modicum esse cum audient, testimonium debet. Ita fiet, ut ex judicio praeceptoris discipulus pendeat, atque id se dixisse recte, quod ab eo probabitur, credat. Illa vero vitiosissima, quae etiam jam humanitas vocatur, invicem qualiacunque laudandi, cum est indecora, et theatralis, et severe institutis in scholis aliena, tum studiorum perniciosissima hostis. Supervacua enim videntur, cura ac labor, parata quidquid effuderint laude. Vultum igitur praeceptoris intueri tam qui audiunt debent, quam ipse qui dicit. Ita enim probanda atque improbanda discernent, sic slylo facultas continget, auditioni iudicium. At nunc proni atque succincti, ad omnem clausulam non exsurgunt modo, verum etiam excurrunt, et cum indecora exultatione conclamant. Id mutuum est, et ibi declamationis fortuna, hinc tumor, et vana de se persuasio, usque adeo, ut illo condiscipulorum tumultu inflati, si parum a praeceptore laudentur, ipsi de illo male sentiant. Sed se quoque praeceptores intente, ac modeste audiri velint. Non enim iudicio discipulorum dicere debet magister, sed discipuli magistri. Quin, si fieri potest, intendendus animus in hoc quoque, ut perspiciat, quae quisque et quomodo laudet, ut placere quae bene dicit, non suo magis, quam eorum nomine delectetur, qui recte iudicabunt.

Ibid. c. 10. Plura de officiis docentium locutus, discipulos id unum interim moneo, ut praeceptores suos non minus, quam ipsa studia ament: et parentes esse, non quidem corporum, sed mentium credant. Multum haec pietas confert